Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 169

Quelle:
Copyright:

Sententiis CCXLI. et incipit: *Auem in somnis qui uiderit & cum ipsa pugnauerit, litem aliquam significat. Asinum uel hedum uiderit, crementum negotii significat. Aui aliquid rapuisse, damnum significat.* &c. Extrema sunt: *Cepas in somnis uidit, oculorum dolorem significat. Zona aurea cingere inuidiam significat.* In Alphabetum quodammodo redactae sunt Sententiae, sed quod pluries ad caput redit.

IV. *fol.* 129. p. 2. *Haec Sunt Sortes Sanctorum Quae Numquam Fallunt Recta Scrutantes Si Cum Jejunio Et Oratione Peraguntur.* Istud videlicet collyrium solet oculis rudium illini. Duae Series sunt Oraculorum duabus sanis *Orationibus* ad Deum, quarum prior *S. Martini* dicitur, interceptae. Nec in ipsis Oraculis aliquid improbi. Ita autem ineunt: C. C. *Animum tuum nunc dubitantem esse uideris. sed postmodum deo adiuuante perueniet, ubi, & obtinebis, quae cupis.* V. *De quo consules, crede constanter, quod peruenit ad te, quod speras.* IIII. *De quo cupis, deum interrogas. Ipse te adiuuet, ut perueniat, quod desideras.* &c. Numeri praefixi, ut puto, ex urna quadam a consulentibus temere protrahebantur, quo facto illis promulgabatur Effatum. Tò *Sanctorum* titulo additum callidis superstitionum patronis instar scuti serviisse videtur, quo tela a tot Patribus et Synodis in Sortilegium conjecta exciperent.

Ad Codicem intus convestiendum adhibitae sunt Laciniae *Computus Bedae* eod. Seculo scripti, et in fronte praeter alia inania legitur: *Anno domini Millesimo Trecentesimo LXXIII. in die Antonij conf. per manus Fridrici wistalarij de salczburga.*

CXII.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 37. 4. per duas columnas minutius, sed nitide scriptus, rubricis, literisque initiorum picturatis distinctus, et *Neapoli ex Archivio SS. Apostolorum, Clericorum Reg. vulgo Theatinorum* a. 1716. ad nos translatus, ut praevie testatur *D. Eustach. Caracciolus*, hoc titulo miniato gaudet: *Incipiunt ysagoge petri monachi in theologiam. ex dictis sanctorum patrum.* Unicus Autoris scopus est, ostendere, quotuplici significatu Vox quaelibet biblica venire possit. A *Deo* exorsus per *Angelos* et *Regnum Dei* ad *Hominem* delabitur, quem membratim et paene ἀνατομικῶς recenset, tum ejus aetates, sexum, generationisque respectus pervadit, donec Codex in vocabulo *Soror* abrumpatur. Liquet hinc, vastum sane Opus fuisse, si modo illud *Petrus* pertexuit. Quis vero ille? Novi, *Petri Pictavienſis Allegorias super V. et N. Testamentum* ferri a *Lelongio, Oudino, Fabricio;* at is *Monachus* non fuit. Aetas illi Sec. XII. non anterior; *Brunonem* enim Sec. XI. Scriptorem saepius excitat. *Gregorius* M. et *Cassiodorus* praecipui ei fontes; legas tamen et *Hieronymum, Augustinum, Johannem Os aureum, Rabanum, Paschasium,*

R 53.